Morbio 25 (78)

Julius Episcopus servus servorum dei Dilecto filio Vincentio Carachie Canonico Casalen. Salutem et apostolicam benedictionem. Rationi congruit et convenit honestati
ut ea que de Romani Pontificis gratia processerunt licet eius superveniente obitu littere apostolice desuper confecte non fuerint suum sortiantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Paulus pp. iij. predecessor noster omnes Canoni-
catus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica apud sedem apostolicam tunc vacantia et inantea vacatura collationi et dispositioni sue reservavit. Decernens extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel
ignoranter contingeret attemptari. Et deinde Canonicatu et Prebenda ecclesie Casalen. per liberam resignationem tui de illis quos tunc obtinebas per dilectum filium Cristophorum de Johannis Canonicum Asten. procuratorem tuum
ad id a te specialiter constitutum in manibus dicti predecessoris sponte factam et per eundem predecessorem admissam apud sedem predictam vacantibus idem predecessor de illis sic vacantibus et antea dispositioni apostolice reservatis
dilecto filio Francisco Carachie clerico Casalen. cum domo canonicali quam tu tempore resignationis huiusmodi ratione dictorum Canonicatus et prebende inhabitabas sub dat. videlicet Quinto Kl. Novembris Pontificatus
eiusdem predecessoris Anno Quartodecimo concessit provideri. Cumque postmodum dictus Franciscus concessioni gratie huiusmodi litteris apostolicis desuper non confectis per eundem Cristophorum etiam procuratorem suum
ad id ab eo specialiter constitutum in eisdem manibus sponte et libere cessisset idemque predecessor cessionem ipsam duxisset admittendam ac propterea Canonicatus et prebenda predicti ut prefertur vacare nosce-
rentur nullusque de illis preter eundem predecessorem ea vice disponere potuisset sive possit reservatione et decreto obsistentibus supradictis. Idem predecessor volens tibi apud eum de vite ac morum honestate aliisque
probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato horum intuitu gratiam facere specialem ac te a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab
homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existebas ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum absolvens et absolutum fore censens. Necnon omnia et singula beneficia eccle-
siastica cum cura et sine cura que ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtinebas et expectabas ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competebat quecunque quotcunque et qualiacunque essent eorumque fructuum reddi-
tuum et proventuum veros annuos valores ac huiusmodi dispensationum tenores pro expressis habens sub dat. videlicet Duodecimo Kl. Januarii eiusdem Pontificatus Anno Quintodecimo Canonicatum et prebendam
predictos quorum et illis forsan annexorum fructus redditus et proventus Viginti ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum ut asserebas non excedebant sive premisso sive alio
quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona seu per similem resignationem tui vel cuiusvis alterius de illis in Romana curia vel extra eam etiam coram Notario publico et testibus sponte factam aut assecutionem
alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacarent etiam si tanto tempore vacavissent quod eorum collatio iuxta Lateranen. statuta Concilii ad sedem eandem legitime devoluta ipsique Canonicatus et prebenda
dispositioni apostolice specialiter vel alias generaliter reservati existerent et super eis inter aliquos lis cuius statum idem predecessor haberi voluit pro expresso penderet indecisa. Dummodo eorum dispositio ad eundem prede-
cessorem ea vice pertineret cum domo et annexis huiusmodi ac plenitudine iuris canonici necnon omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate contulit et de illis etiam providit. Decernens prout erat irritum
et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan erat hactenus vel imposterum contingeret attemptari. Non obstantibus pie memorie Bonifatii pp. viij. etiam predeces-
soris nostri et aliis apostolicis constitutionibus ac dicte ecclesie iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque. Aut si aliqui prefata apostolica vel
alia quavis auctoritate in dicta ecclesia in Canonicos essent recepti vel ut recipiantur insisterent. Seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie specialiter vel aliis beneficiis ecclesiasticis
in illis partibus generales dicte sedis vel Legatorum eius litteras impetrassent etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet esset processum quibus omnibus idem Paulus predecessor te
in assecutione dictorum Canonicatus et prebende voluit anteferri. Sed nullum per id eis quo ad assecutionem Canonicatuum et prebendarum vel beneficiorum aliorum preiudicium generari. Aut si venerabili fratri nostro [illegible] Episcopo
et dilectis filiis Capitulo Casalen. vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem esset sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime tenerentur et ad id compelli non possent. Quodque de Canonicatibus
et prebendis ipsius ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeret provideri per litteras apostolicas non
facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existeret per quam litteris ipsius Pauli predecessoris si desuper
confecte fuissent non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeret quomodolibet vel differri. Et de qua cuiusque toto tenore habenda esset in eisdem litteris mentio specialis. Seu si presens non fores
ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie solitum iuramentum dummodo in absentia tua per procuratorem idoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesseris corporaliter illud prestares. Ne autem de
absolutione collatione provisione decreto et voluntate predictis pro eo quod super illis dicti Pauli predecessoris eius superveniente obitu littere confecte non fuerunt valeat quomodolibet hesitari tuque illorum frustreris effectu
volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus quod absolutio collatio provisio decretum et voluntas Pauli predecessoris huiusmodi perinde a dicta die Duodecimo Kl. Januarii suum sortiantur effectum ac si super illis ipsius
Pauli predecessoris littere sub eiusdem diei dat. confecte fuissent prout superius enarratur. Quodque presentes littere ad probandum plene absolutionem collationem provisionem decretum et voluntatem Pauli predecessoris
huiusmodi ubique sufficiant nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre voluntatis et decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem
hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice
Millesimoquingentesimoquadragesimonono Octavo Kl. Martii Pontificatus nostri Anno Primo.

A

Jo. bap. Mylanesius
A. Moran

Ex.ta pridie Kl. aug. Anno secundo
B. [illegible]

B. Lomellinus
Jo. Ange. Cuccin
[illegible]

A. Zephyrus
Jo. Ange. Cuccin

Regist. [illegible] A. Cinus

Cor. [illegible]

1549. Feb. 22.

Anno incar.nis d. M°ccccc XXXXviij die XXX octobris R.mi
Vincentius per R.mum provincem Cons.it resig.m et litras exp.m
fieri

Anno sup.to et die xij Januarij R.mus Franciscus per R.mum Xpoforum
provincem Cons.it Cessi.m et litras exp.m fieri

Jo. bap.ta Doua Jo pelletier

De Jasis magis

Morbéo 25 (78)